

TH. XXVIII.

Per rescriptum vero Principis legitimati non aliter quam si liberi ab initio iusti nulli existant, sive postea liberi nati sint, sive non. *N. 89. c. 9.*

TH. XXIX.

Naturales, Patri, si mortuus reliquit liberos, aut conjugem legitimam, non succedunt, sed iis tantum alimenta debentur bpni viri arbitrato. *N. 89. c. 12. in fin.*

TH. XXX.

Si nullos liberos aut conjugem legitimam reliquit, tum succedunt Patri in duas uncias inter naturales & matrem eorum dividendas. *dict. N. 89. c. 2.*

TH. XXXI.

Sed primi gradus liberi duntaxat. Qui enim ulterioris, quamvis ex filio naturali iusti & legitimi sint, ayo naturali & reliquis per patriam lineam ascendentibus non succedunt. *l. fin. C. de natural. liber.*

TH. XXXII.

Si quis testamento facto decesserit, de quo incertum est, utrum paterfamilias an filiusfamilias sit, quia pater ejus apud hostes captus adhuc vivat, vel quod alia causa suspendebat ejus statum, magis est ne successio ab intestato peti possit. *l. 2. §. 3. ff. unde legit.*

TH. XXXIII.

Quamdiu spes est suum heredem aliquem defuncto existere, consanguineis locus non est, ut puta si defuncti uxor prægnans sit, aut defuncti filius apud hostes. *l. 5. §. 1. ff. unde legit.*

TH. XXXIV.

Si quis decessisset, relicta filia, quam in adoptionem legitime dederat, relicta & matre, filia, exclusa matre, quasi legitima succedere speratur. *l. 2. §. 9. ff. ad Sct. Tertull.*

TH. XXXV.